

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXIX - N. 2

2007

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 2007

Tariffa R.O.C. - Poste Italiane S.p.A. - Spediz. Abb. Postale D.L. 353/2003
(Conv. in L. 27/02/2004) - art. 1 comma 1 - DCB Roma

EX ACTIS BENEDICTI PP. XVI

Litterae Apostolicae motu proprio datae <i>Summorum Pontificum</i>	175
Allocutio Summi Pontificis ad Sodales Commissionis Theologicae Internationalis, die 5 octobris habita	180
Allocutio Summi Pontificis ad Collegium Postulatum causarum beatificationis et canonizationis Congregationis de Causis Sanctorum die 17 decembris habita	183

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	186
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIO	188

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

SECRETARIA STATUS	
Allocutio de themate "Status iuris" ad VI Comitatum 62 ^{ae} sessionis Conventus Generalis Nationum Unitarum Coetus a moderatore delegationis Sanctae Sedis habita	190
CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
Responsa ad quaestiones de aliquibus sententiis ad doctrinam de Ecclesia pertinentibus (die 29 mensis iunii)	193
Responsa ad quaestiones ab episcopali Conferentia Foederatorum Americae Statuum propositas circa cibum et potum artificialiter praebenda (die 1 mensis augusti)	198
Nota dottrinale su alcuni aspetti dell'evangelizzazione	204
CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM	
Responsa ad dubia proposita	219
CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM	
Instructio <i>Sanctorum Mater</i>	221
PONTIFICIUM CONSILIUM AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM	
«The Ravenna Document»	269
EX EPHEMERIDE <i>L'OSSERVATORE ROMANO</i>	
Articulus explanans «Responsa» a Congregatione pro Doctrina Fidei die 29 iunii 2007 data	284

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio VIII)	291
Coetus studiorum «De Processibus» (Sessio IX)	313
NOTITIAE	334
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	335

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDII « DE PROCESSIBUS »

Sessio VIII^a

(diebus 20-25 octobris 1969 habita)

Diebus 20-25 octobris 1969, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas de iure processuali.

Sessioni intererant Exc.mus D. Ioannes Kaldany; Ill.mi ac Rev.mi Carolus Lefebvre, Iosephus Pinto, Iosephus Damizia, Ioannes Barry, Stephanus Kelleher, Iosephus de Castro Nery et Elias Jarawan; Rev.mi PP. Christophorus Berutti et Eduardus Regatillo; necnon Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Commissionis et Rev.dus D. Franciscus Voto, actarius.

Nonae adunationi praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Praeses Commissionis; caeteris adunationibus praefuit Rev.mus P. Bidagor.

Quaestiones a Secretaria Commissionis propositae erant sequentes:

- 1) De iudicio contentioso summario;
- 2) De compromisso in arbitros;
- 3) De criteriis pro revisione causarum matrimonialium.

Exc.mus Kaldany paravit schema canonum de iudicio contentioso summario; de aliis quaestionibus votum paraverunt Consultores Lefebvre, Pinto, Barry, Kelleher, de Castro Nery, Jarawan, Berutti, Regatillo.

Exc.mus Sabattani, Relator, qui Sessioni interesse non potuit, relationem supra vota Consultorum scripto apparavit.

Adunatio I^a
die 20 octobris 1969 mane habita

Rev.mus Secretarius omnibus Consultoribus salutem dicit et singulariter Rev.do Jarawan, qui nuper huic Coetui adscriptus fuit. Insuper quaerit num Consultores Relationem laborum VII^{ae} Sessionis probent quod attinet sive ad integritatem sive ad veritatem eorum quae referuntur.

Omnes Consultores Relationem approbant.

Deinde petit ab Exc.mo Kaldany ut illustret schema canonum de iudicio contentioso summario, quod ipse, e mandato ipsius Coetus, apparavit.

Exc.mus Kaldany sequentes animadversiones facit:

a) In redactione huius schematis adhibita est uti «basis» laboris sectio «de iudicio contentioso coram iudice unico» (cann. 453-467) Codicis orientalis. Tamen notandum est quod illa sectio Codicis orientalis non separatur a toto «de iudicio contentioso ordinario seu sollemni», dum in casu nostro pars «de iudicio contentioso summario» haberi debet uti pars totaliter distincta a «de iudicio ordinario». Proinde, secus ac in Codice orientali, in praesenti schemate inclusae sunt quaedam sectiones iudicii ordinarii, v. gr. constitutio tribunalis, causa incidens, exceptiones contra iudicem, contumacia, etc.

Ratio repetendi lineamenta processus contentiosi summarii ex Codice orientali est quia illae normae frequenter applicantur in regionibus ubi viget Codex orientalis. Proinde ex experientia in illis regionibus habita iuvamen trahi potest in hanc partem Codicis redigendam.

b) Causae in quibus processus summarius adhiberi potest aut debet sunt causae contentiosae, exceptis causis matrimonialibus. Mens enim huius Coetus est ut pro causis matrimonialibus alius processus specialis in Codice habeatur.

c) Ad inscriptionem huius schematis quod attinet meminisse iuvabit etiam Commissionem pro Codificatione iuris orientalis difficultates habuisse. Noluerunt inscriptionem «de iudicio contentioso summario», quia «il termine *sommario* è criticato, benché esprima bene il concetto, per non dare a credere ai profani che si tratta di una amministrazione della giustizia priva delle necessarie garanzie» (Ex processu verbali Commissionis). Ideo aliam inscriptionem maluerunt, nempe «de iudicio contentioso coram iudice unico». Revera si iura civilia inspiciantur (anglo-saxonicum, italicum, gallicum, germanicum) dictum «iudicium summarium» aequivocum esse potest, quasi agatur de iudicio in quo non dantur «le necessarie garanzie»

nell'amministrazione della giustizia». Ideo in iure «anglosaxonico» iudicium summarium ubi dantur «tali garanzie» vocatur «Speedy trial» (celer iudicium) et in iure italico «Il procedimento davanti al pretore».

Attamen, non obstantibus supra allatis difficultatibus, dictum «iudicium summarium» aptum videtur, ideo inscriptio huius schematis sonat «De iudicio contentioso summario». Talis inscriptio in vetere quoque iure canonico habebatur.

d) In praesenti schemate nulla habetur propositio de tribunali appellationis, siquidem a Coetu hoc dilata est recognitio canonis 1594, a quo pendebit etiam constitutio tribunalis appellationis pro processibus summariis.

e) Ut brevitatis in processibus assequatur, in praesenti schemate totum ius radicitus simplificatur, ita ut ipsa iustitia fieri possit aperte, celeriter et faciliter. Praescripta enim iuris ad minima reducuntur; normae plus minusve doctrinales ablatæ sunt.

In iudicio contentioso ordinario seu sollemni dantur quattuor gradus:

- 1) periodus introductionis;
- 2) periodus instructionis;
- 3) periodus discussionis seu defensionis;
- 4) periodus conclusionis.

In processu summario (in praesenti schemate delineato) nulla habetur separatio inter varias periodos, proinde processus celerior fit. Talis processus seu iudicium potrahi non deberet ultra quam sexaginta dies (2 menses); nam:

- 1) iudex intra tres dies petitionem iudicalem parti conventae communicare debet;
- 2) pars conventa intra decem dies respondere debet;
- 3) decem dies ad replicandum dari possunt;
- 4) audientia habetur intra triginta dies;
- 5) sententia edenda est intra quindecim dies.

Rev.mus Secretarius Consultores rogat ut de hoc schemate Exc.mi Kaldany animadversiones generales faciant. Quoad singulos canones discussio habebitur in proxima Sessione, postquam Consultores vota sua scripto fecerint, ita ut de omnibus animadversionibus Rev.mus Relator rationem ante tempus habere possit.

Rev.mus primus Consultor ponit quaestionem praeiudicalem num processus summarius in Codice introducendus sit. Ipse negative respondet in primis quia hodie ipsum iudicium ordinarium seu sollemne contentiosum vix in usu est in foro ecclesiastico, nisi pro causis matrimonialibus, quae in hoc schemate non comprehenduntur; vix ullae causae iudiciales sunt nisi matrimoniales; aliae per exceptionem occurrunt. Unde ipse processus ordinarius prout in Codice statuitur et prout ab hoc Coetu recognitus est fere inutilis evasit. Nam pro causis matrimonialibus alius processus statuendus est.

Igitur si ipse processus ordinarius vix utilis est, ob defectum causarum, inutilior erit processus summarius. Quare non est cur processus summarius excogitetur et in Codicem inducatur. Ipsi redactores CIC processum summarium minime censuerunt utilem, etsi antiquitus etiam in iure canonico distinguebatur iudicium sollemne a iudicio summario.

Neque ad hunc processum inducendum nos movere potest exemplum Codicum civilium plurium nationum, qui processum summarium admittunt. Reapse in iure civili utilis vere esse potest ob multitudinem et magnam causarum varietatem. Non sic in iure canonico, etsi forte in iure canonico orientali utilis sit.

Rev.mus Secretarius Consultores rogat ut mentem suam dicant circa animadversionem Rev.mi primi Consultoris, num nempe processus summarius utilis esse possit in iure latino. Verum est quod generatim in foro ecclesiastico fere omnes causae sunt de re matrimoniali et siquidem tales causae aguntur coram tribunali collegiali, videretur inutile de processu summario normas condere. Attamen non desunt regiones ubi administratio iustitiae fere impossibilis evadit ob carentiam officialium tribunalium. Quapropter opportune perpendendum est num sine addito processus summarius inutilis habendus sit.

Plures Consultores respondent se convenire cum Rev.mo primo Consultore circa inutilitatem processus summarii (Rev.mi secundus, tertius et quartus Consultores) de quo providere potest ius particulare (Rev.mus quintus Consultor).

Alii Consultores item inutile censent constituere partem specialem de processu summario. Concedunt tamen aliquas quaestiones procedura summaria instrui ac persolvi posse ut puta omnes causae incidentes (Rev.mi sextus et septimus Consultores) vel aliquae partes in ipso processu matrimoniali vel poenali (Rev.mus octavus Consultor). Oporteret ergo in singulis locis indicare possibilitatem talis procedurae ac breviter ibidem illam delineare.

Rev.mus Secretarius notat quod, si in singulis locis procedura summaria delineanda sit, non videtur cur non de ipsa pars specialis potius habeatur, quae praeterea et pro causis administrativis inserviat.

Deinde habetur aliqua discussio in qua fere omnes Consultores inclinant ut quaestio de processu summario differatur et de ipsa sermo fiat simul cum processu administrativo.

Rev.mus Secretarius monet Consultores ut rem mature perpendant ita ut in sequenti adunatione de ipsa suffragatio haberi possit.

Adunatio II^a
die 21 octobris 1969 mane habita

Rev.mus Secretarius quaerit num aliquis Consultor aliquid novi proferendum habeat circa ea quae heri dicta sunt. Secus procedi potest ad suffragationem utrum placeat schema Exc.mi Kaldany examinare cito, an discussionem differre et, quatenus differatur, num schema rescribendum sit sub respectu processus administrativi.

Rev.mus primus Consultor censet processum administrativum in novo Codice describi oportere ita ut illa procedura praesto sit pro illis causis, et tantum pro illis causis pro quibus Codex proceduram administrativam admittit. De aliis quaestionibus autem quae communiter occurrunt, patet recursus ad Sacras Congregationes.

Omnes alii Consultores vero volunt ut rescribatur novum schema, in quod etiam schema Exc.mi Kaldany confluat, ad regulas et organa iustitiae administrativae definienda, ita ut via quoque administrativa omnibus pateat pro efficaci tutela ipsorum iurium.

Rev.mus octavus Consultor proponit ut parvus Coetus constituatur ad novum schema apparandum. Huic propositioni omnes Consultores accedunt, excepto Rev.mo primo consultore.

Ex communi consilio sequentes Consultores nostrae Commissionis designantur qui parvo Coetui adscribantur:

Exc.mus Sabbatani; Rev.mi Pinto, Damizia et Berutti; Ill.mi Ciprotti et Giacchi.

De compromisso in arbitros

Circa locum huius materiae in Relatione Rev.mi Relatoris recolitur quod dictum est in Sessione praecedenti ut nempe compromissum in arbitros locum habeat inter processus speciales. Recolitur quoque suggestio Rev.mi Relatoris ut initio partis «de iudiciis», simul cum exhortatione vitandi lites, hic revocetur contractus de compromisso in arbitros tamquam medium componendi controversias.

Rev.mus Relator, referens propositionem Rev.mi sexti Consultoris, ut simul cum compromisso in arbitros tractetur transactio, respondit transactionem non esse nisi contractum qui nullum exigit tramitem processualem et ideo poni posse in parte « de bonis ecclesiae temporalibus », sub tit. « de contractibus ».

Deinde fit discussio de novo canone qui sit 1607 bis de exhortatione vitandi lites.

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

« Cum valde optandum sit ut lites in populo Dei evitentur, aut brevi et pacifice componantur, proposita aliqua controversia quae privatum bonum respiciat, iudex in limine litis, aut quolibet alio processus stadio ante sententiam definitivam, partes hortetur, ut per transactionem vel compromissum in arbitros de suis iuribus transigant ».

Circa hanc formulam Rev.mus Relator sequentes adnotationes habet:

– propositus canon respondet praesentibus canonibus 1925 et 1929, et, iuxta optimam animadversionem factam a Rev.mo sexto Consultore, comprehendit in hortatione iudicis etiam compromissum;

– idem canon extendit tempus eiusdem suasionis usque ad limen sententiae definitivae;

– tribuit ipsi iudici officium suasionis faciendae, nec suasionem relinquit eius arbitrio (sicut fit nunc in Codice).

Consultores sequentes emendationes proponunt:

a) Rev.mi nonus et tertius Consultores: supprimantur verba « brevi et » (omnibus placet).

b) Rev.mus octavus Consultor: dicatur « ... pacifice quamprimum componantur » (omnibus placet).

c) Rev.mus nonus Consultor: supprimantur verba « de suis iuribus » (omnibus placet, excepto Rev.mo sexto Consultore).

d) Rev.mus nonus Consultor: in fine dicatur: « ... per compromissum in arbitros *litem component* ».

Alii aliter proponunt: « lis vitetur » (Rev.mus sextus Consultor); « decisio fiat » (Rev.mus octavus Consultor); « causa finiatur » (Rev.mus septimus Consultor); « liti finem imponant » (Rev.mus Secretarius).

Tandem Rev.mus Secretarius proponit: « ... finis litis habeatur » (omnibus placet).

Adunatio III^a
die 21 octobris 1969 vespere habita

Quaestio habetur de mensura tribuenda instituto de compromisso in arbitros.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut de tota materia fiat remissio ad ius civile, quamvis declaret novam ordinationem materiae inductam a Codice orientali constituere progressum in evolutione iuris canonici.

Rev.mi primus et quintus Consultores proponunt ut integra materia de compromisso in arbitros tractetur in hoc Codice.

Rev.mus septimus Consultor vult remittere ad ius civile loci ea quae pertinent ad compromissum ineundum, non vero quae pertinent ad proceduram, quam derivare proponit ex Codice orientali, cum nonnullis mutationibus.

Demum Rev.mus sextus Consultor vult remittere ad ius civile loci totam materiam de compromisso in arbitros, salvis quibusdam normis quoad obiectum compromissi et quoad personam arbitratorum.

Rev.mus Relator vero sequentes animadversiones habet:

a) Quia, iuxta principia nobis proposita (§ 5) « ius processuale novi Codicis ampliores atque generaliores formas induere debet », relicta auctoritatibus regionalibus facultate normas condendi et exemplo deducto ex iure processuali civili, haec mihi videtur provincia apta ad hanc praxim recipiendam.

b) Ex alia parte, Codificatio Orientalis hac in re (cann. 98-122) est ita minuta, ita implicata, ita diffusa, ut compromissum induat omnes difficultates processus formalis et impugnationis sententiae.

Non audeo, ideo, huiusmodi difficilem architecturam ubique imponere domicilio iuris. Aptius est quod unusquisque teneat constructionem loci sui.

c) Ceterum nec fieri potest simplex remissio ad ius civile. Nam obiectum causarum nostrarum est fere semper sat distans a civilibus controversiis.

d) Nec sufficit exceptiones ponere quoad obiectum compromissi et personas arbitratorum. Nam procedura arbitralis in codicibus laicis praevidet frequentem relationem arbitratorum cum iudice. *In casu remissionis, quisnam erit iste iudex?* forsan iudex laicus? minime! Tunc haberetur, non receptio seu canonizatio iuris civilis, sed saepimentum fori canonici! Hac in remissione, textura potest esse quidem laicalis, sed debet superimponi telae iudicialiae Ecclesiae.

e) *Conclusio* haec videtur: fiat remissio sive substantialis, sive proceduralis ad ius particulare (si habeatur), alioquin ad ius civile vicens in loco, et simul statuatur exceptiones quas ius canonicum exigit quoad causas excludendas ab arbitrato, quoad personas arbitrorum et quoad structuram iudiciariam canonicam, cui arbitratus (quamvis a laicis normis rectus) semper adhaerescere debet.

Alii Consultores animadversiones Rev.mi Relatoris admittunt, ideoque examinantur canones ab ipso Rev.mo Relatore propositos.

Can. 1 (can. 1929 CIC) compromissum in arbitros et leges in eo servandae

«§ 1. Ad evitandas iudiciales contentiones, partes possunt inire conventionem, qua controversia committatur iudicio unius vel plurium qui quaestionem dirimant ad normam iuris.

§ 2. In compromisso in arbitros servantur normae statutae a legibus civilibus loci ubi conventio initur, nisi iuri divino adversentur vel ius canonicum aliud statuatur, et salvis praescriptis canonum qui sequuntur».

Rev.mus nonus Consultor quaerit sensum verborum «ad normam iuris» in fine § 1.

Illa verba inducta sunt a Rev.mo Relatore ex suggestionem Rev.mi septimi Consultoris, qui petiit expunctionem e canone 1929 eorum quae dicuntur de compromisso *in arbitratore*. Arbitratores enim de bono et aequo negotium pertractant et transigunt, nam ipsi sunt veluti amicales compositores, non iudices controversiae: potius sunt viri probi et periti qui, exorto aliquo dubio, vel in executione contractus vel in aestimatione rei, interrogati suam promunt sententiam ad rectam practicae difficultatis solutionem.

Suppressis ergo arbitratoribus in hoc canone, merito edici potest ut arbitri procedant «ad normam iuris».

Rev.mus Secretarius concordat circa expunctionem arbitratorum, attamen, dicit ipse, non videtur opportunum illa verba «ad normam iuris» in § 1 inserere. In 2^a § enim dicitur in compromisso in arbitros servandas esse normas a legibus civilibus statutas; bene ergo est ut arbitri praescriptum iuris civilis servant etiam quoad hanc partem, de dirimenda scilicet quaestione ad normam iuris vel de bono et aequo.

Omnes Consultores concordant cum Rev.mo Secretario.

Quoad § 2 hae animadversiones habentur:

– Rev.mus nonus consultor proponit: «... ubi conventio fit» loco «initur». Cum quaestio sit potius de latinitate, Consultores malunt ut verbum *fit* in textu ponatur inter ungulas.

– Rev.mus sextus Consultor vellet ut remissio fieret ad ius particulare, potius quam ad ius civile loci (non placet).

Can. 2 (can. 1930 CIC) Causae quae compromissum non patiuntur

« Nequeunt in arbitros valide compromitti controversiae:

1° criminales, nisi agatur de actione civili ad reparanda damna ex delicto orta;

2° de statu personarum;

3° de re beneficiaria cum de ipso beneficii titulo disceptatur, nisi legitima accedat auctoritas;

4° de rebus spiritualibus quotiescumque interveniat solutio rei temporalis ».

Examinantur singuli numeri huius canonis:

N. 1

Omnibus placet.

N. 2

Rev.mus nonus Consultor proponit hanc additionem: « de statu personarum, *nisi in causis separationis mere agatur de pensione alimentari* ».

Sed alii Consultores talem additionem respuunt quia pensio alimentaris non est causa de statu personali.

Rev.mus sextus Consultor vult addere: « de vinculo matrimoniii, vel S. Ordinationis vel professionis religiosae » et, praeterea, Rev.mi sextus et quartus Consultores includere optant etiam « causas de separatione coniugum ».

At Rev.mus Relator animadvertit quod exclusio compromissi pari ratione poni debet relate ad causas filiationis, legitimationis, exsistentiae matrimonii, adoptionis, etc.

Tamen ad vitandum indicem sat longum, qui numquam erit completus; ad praecavendam aliquam periculosam expressam inclusionem (causae separationis); ad continenda verba legis in necessaria sobrietate, melius est simpliciter dicere « *controversiae de statu personarum* ». Quae quidem locutio iam plene possidetur in iure (can. 1903), et omnes sciunt quid significet. Verum est quod per hanc formulam exceptio a compromisso in arbitros aliquatenus forsan dilatatur; sed iuvatur aequilibras systematis ca-

ex. gr. verum est quod non pendet a lege quod iudices sint *debite praeparati*, attamen in lege exigi potest ut iudices potiti sint laurea doctoris vel saltem licentia in iure canonico et usum causarum matrimonialium habeant saltem trium annorum.

Rev.mus Secretarius censet quod unus ex iudicibus tribunalis collegialis posset esse laicus, quia inter laicos facilius inveniri possunt iurisperiti. Hoc modo subveniri posset necessitatibus quarundam regionum ubi sacerdotes paucissimi sunt.

3) Nostrum non est mutationes inducere in ius substantivum matrimoniale.

4) Hic proponi debent criteria mere processualia ad aptiorem gestionem causarum matrimonialium. Ergo praeter illa quae iam adumbrata sunt a nostro Coetu (constitutio tribunalium regionalium, reformatio secundae instantiae, possibilitas adsistentiae patroni partium ad interrogationes partium et testium) alia remedia oportet proponere ita ut processus sit simplex, rectus, apertus, celer, parum dispendiosus, etc.

Ad enucleanda illa criteria, pressius sequentes quaestiones examinantur:

1) Utrum constitutio tribunalium regionalium pro causis matrimonialibus sit obligatoria, an relinquenda sit facultati Conferentiarum episcopali;

2) Utrum Tribunal regionale, praeter causas de vinculo, competens etiam esse possit circa causas separationis coniugum et super rato et non consummatum necne;

3) Placeatne can. 1986 (iam recognitus) circa secundam instantiam;

4) Utrum in causis matrimonialibus admitti possint advocati *designati a partibus* necne;

5) Utrum causae de vinculo procedura administrativa tractari possint necne;

6) Num numerus casuum exceptorum ampliari possit an debeat;

7) Utrum in causis matrimonialibus necessarium sit tribunal collegiale necne;

8) De appellatione: num defensor vinculi, a prima sententia, quae matrimonii nullitatem declaraverit, semper appellare debeat (can. 1986);

9) Utrum in causis matrimonialibus solus promotor iustitiae sufficiat tanquam repraesentans boni publici necne;

10) Utrum requiratur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definiendam necne;

11) De sacerdote consiliario de re familiari;

12) Utrum causae de dispensatione super rato necessario S. Sedi reservari debeant necne.

I. *Utrum constitutio tribunalium regionalium pro causis matrimonialibus sit obligatoria necne*

Fere omnes Consultores malunt ne detur *obligatio* constituendi tribunalia regionalia.

Rev.mus sextus Consultor notat quod, ex Constitutione Apostolica *Regimini Ecclesiae Universae*, commissum est Tribunali Supremo Signaturae Apostolicae ut invigilet rectae administrationi iustitiae et curet erectionem tribunalium regionalium; opportunum ergo est ut norma Codicis de constituendis tribunalibus regionalibus sit facultativa, ita ut Signatura Apostolica curet erectionem tribunalis regionalis ubi et quando in tribunalibus dioecesanis non recte administratur iustitia.

Rev.mus septimus Consultor notat quod in pluribus regionibus tribunalia regionalia sunt omnino necessaria cum perdifficile sit in singulis dioecesibus quattuor sacerdotes (tres iudices et defensor vinculi) invenire, qui sint iure periti; ideo norma de constituendis tribunalibus regionalibus deberet esse obligatoria.

Rev.mus primus Consultor animadvertit quod etiamsi tribunalia regionalia constituantur, necesse est ut iurisdictio maneat apud Episcopos cumulative cum tribunalibus regionalibus.

Rev.mus octavus Consultor concordat cum Rev.mo primo Consultore, ita ut Episcopis detur optio tractandi causas per se ipsos vel apud tribunalia regionalia.

Suffragatur placeatne constitutionem tribunalium regionalium pro causis matrimonialibus esse tantum *in facultate* Conferentiarum episcopalium.

Omnibus placet.

II. *Utrum tribunal regionale, praeter causas de vinculo, competens etiam esse possit circa causas separationis coniugum et super rato et non consummato necne*

Consultores unanimiter respondent tribunal regionale competens esse posse circa causas separationis coniugum. Circa autem causas de dispensatione super rato et non consummato aliqui Consultores (Rev.mi secundus et ter-

tius Consultores) positive respondent, sed alii Consultores notant illas esse causas administrativas et ideo remitti non posse ad tribunalia regionalia.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut quaestio seponatur et de ipsa discussio habeatur quando habentur normae de actibus administrativis et de processu administrativo; alii Consultores vero concordant ut seponatur quaestio, quae in praesenti quasi cumulative ponitur, quatenus scilicet sit competentia tribunalium regionalium. Melius est quaestionem singillatim dirimere quando de singulis speciebus causarum matrimonialium tractabitur (causae de vinculo, causae separationis, causae dispensationis super rato et non consummato).

Adunatio V^a
die 22 octobris 1969 vespere habita

III. *Utrum placeat can. 1986 (iam recognitus) circa secundam instantiam necne*

Rev.mus octavus Consultor proponit ut quaestio seponatur. Suo enim iudicio causae de vinculo dividendae erunt veluti per classes, secundum gravitatem ac secundum gradum probationis, et pro unaquaque classe statuendum erit utrum appellatio necessaria sit necne.

Alii Consultores concordant ut quaestio seponatur.

IV. *Utrum in causis matrimonialibus admitti possint advocati designati a partibus necne*

Rev.mus octavus Consultor proponit ne in causis de vinculo matrimoniali admittantur advocati vel saltem advocati tantum ex officio designentur, quibus a tribunali onorarium tribuatur (placet n. 1; non placet n. 6; se abstinere a sententia ferenda n. 1). Ergo admitti possunt advocati designati a partibus.

V. *Utrum causae de vinculo matrimoniali procedura administrativa tractari possint necne*

Rev.mus primus Consultor notat quod nullum discrimen specificum inter processum iudicalem et administrativum occurrit. Unicum discrimen assignari potest et solet apparatui forensi, seu cumulo tramitum ac sollemnitatum quibus expeditur processus iudicialis quorum plurima omittuntur

in administrativo. Iamvero processus statuendus in Codice pro causis matrimonialibus sit ille qui magis expediat rectae ac promptae administrationi iustitiae. Tramites, sollemnia aliaque huic fini subordinari debent; quare, si fini non prosunt, resecanda sunt. Ergo causae de vinculo, de se, ordine iudiciario tractanda sunt, dummodo sollemnitates et tramites pauci sint.

Rev.mus octavus Consultor censet quod causae faciliores tractari forsitan poterunt ordine administrativo.

Huic propositioni accedit Rev.mus tertius Consultor, secundum quem hoc criterio procedendum est: quo facilius sit causa eo minor sit cumulus formalitatum.

Rev.mus secundus Consultor, de se, praeferret ritum administrativum in omnibus causis, sed fatetur id esse fere impossibile.

Rev.mus sextus Consultor animadvertit quod in causis de vinculo partes dimicant de suo iure, proinde via iudiciaria servari debet.

Post aliquam discussionem iam apparet aliquas causas faciliores ritu administrativo tractari posse, propterea dubium sequens proponitur:

Num scilicet numerus casuum exceptorum ampliari possit.

**Adunatio VI^a
die 23 octobris 1969 mane habita**

VI. *Utrum numerus casuum exceptorum ampliari possint necne*

Propositio Rev.mi octavi Consultoris dividendi causas per classes difficultates praebet quia, secundum aliquos Consultores, difficile est determinare ante tempus quatenus causae sint faciliores et quatenus sint difficiliore.

Attamen, dicit Rev.mus Secretarius, iam CIC exemplum quoddam classificationis praebet quando enumerat casus exceptos a regulis processus sollemnis (can. 1990).

Utile ergo erit examinare alios casus pro quibus forte processus summaris canonum 1990-1992 servari poterit.

Rev.mus decimus Consultor animadvertit quod criterium seligendi causas faciliores admitti potest, attamen praecaveri deberet illas causas tractari posse non tantum ordine administrativo sed etiam ordine iudiciario, si forte peculiaris difficultas in casu particulari irrepserit.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut quaestio solvatur quando iam processus administrativus descriptus sit. Tunc facilius iudicari poterit num cautiones illius processus tales sint ut tranquille aliquas causas illo ritu tractentur.

Rev.mus Secretarius censet iam nunc quaestionem tractari posse et dubia sequentia suffragio Consultorum proponit:

1) Placeatne extendere ritum can. 1990 ad omnes causas quae procedunt ex impedimentis dirimentibus:

placet n. 7; non placet n. 2; placet iuxta modum n. 1.

2) Placeatne extendere ritum can. 1990 ad causas quae procedunt ex capite defectus mandati in matrimoniis per procuratorem:

omnibus placet.

Adunatio VII^a

die 24 octobris 1969 mane habita

Rev.mus Secretarius haec alia dubia suffragio Consultorum proponit:

1) Placeatne extendere ritum canonis 1990 ad causas quae procedunt ex defectu consensus:

placet n. 3; non placet n. 5; placet iuxta modum n. 1.

Modus: placet tantum in casibus amentiae.

Suffragatur placeatne hic modus:

placet n. 4; non placet n. 5.

2) Placeatne extendere ritum canonis 1990 ad causas nullitatis quae procedunt ex defectu formae:

placet n. 6; placet iuxta modum n. 3.

Modus: placet tantum in casibus quando attentatum fuit matrimonium civile.

Post has suffragationes, per quas numerus casuum exceptorum auctus est, Rev.mus sextus Consultor declarat se multum dubitare num nimis via pateat abusibus interpretationis subiectivae iudicum.

Rev.mus Secretarius respondet Rev.mo sexto Consultori talem dubitationem forsitan fundamento carere, quia satis in can. 1990 cautiones habentur contra subiectivismum iudicum per illa verba «cum ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constiterit...».

VII. *Utrum in causis matrimonialibus necessarium sit tribunal collegiale necne*

Rev.mi secundus et primus Consultores censent sufficere unicum iudicem.

Plures Consultores vero malunt tribunal collegiale in omnibus instantiis (Rev.mi nonus, decimus et octavus Consultores) vel saltem in 2^a instantia (Rev.mi sextus, tertius et septimus Consultores).

Cum enim ad plures causas extensus sit ritus can. 1990, bene est ut ceterae causae, quae maiorem difficultatem praebent, a tribunali collegiali tractentur (Rev.mus nonus Consultor). Quod si dicatur non exstare in dioecibus tot sacerdotes in iure vere peritos (et ideo tribunalia collegialia supprimenda), non videtur haec bona ratio reformandi numerum iudicum in causis matrimonialibus. Potius oporteret adhortari Episcopos ut melius curent formationem iudicum (Rev.mus octavus Consultor). Praeterea si unicum iudex admitteretur foveretur forsitan despotismus ipsius iudicis (Rev.mi octavus et quartus Consultores).

Rev.mus sextus Consultor censet tribunal collegiale esse necessarium in 2^a instantia. Immo, per se, necessarium esset etiam in 1^a instantia. Attamen, ex carentia peritorum in iure canonico, non raro evenit quod duo iudices, non periti in iure, maiorem suffragiorum habeant contra unicum iudicem iure peritum. Ideo melius est ut in 1^a instantia habeatur tribunal unius iudicis.

Rev.mus tertius Consultor item vult tribunal collegiale in 2^a instantia; in 1^a autem instantia habeatur:

- vel tribunal collegiale, sine obligatione tamen appellandi a sententia quae matrimonii nullitatem declaraverit;
- vel iudex unicus, cum obligatione facta defensori vinculi appellandi a sententia quae matrimonii nullitatem declaraverit;
- vel iudex unicus, facta tamen facultate, si casus ferat, alios iudices vocandi ut collegialiter procedatur.

His disceptatis, Rev.mus Secretarius dubia sequentia suffragio Consultorum proponit:

- 1) Placeatne in 1^a instantia tribunal collegiale semper exigere:
placet n. 1 (Rev.mus nonus Consultor); non placet n. 7; se abstinere a sententia ferenda n. 1 (Rev.mus octavus Consultor);
- 2) Placeatne in 2^a instantia tribunal collegiale semper exigere:
placet n. 5; non placet n. 4.
- 3) Placeatne dare Conferentiis episcopalibus facultatem ut determinent utrum tribunalia ad causas matrimoniales in 1^a instantia debeant esse unius iudicis an collegialia:
placet omnibus.

4) Placeatne dare Conferentiis episcopalibus facultatem ut determinent utrum tribunalia ad causas matrimoniales in 2^a instantia debeant esse unius iudicis an collegialia:

placet n. 4; non placet n. 5.

Adunatio VIII^a
die 24 octobris 1969 vespere habita

VIII. *De appellatione: defensor vinculi semper appellare debeatne a prima sententia quae matrimonii nullitatem declaraverit*

Rev.mi decimus, sextus, quartus et tertius Consultores censent non esse imponendam obligationem appellandi quando tribunal sit collegiale; esse vero imponendam quando tribunal sit unius iudicis.

Rev.mus nonus Consultor item censet obligationem appellandi imponendam esse quando tribunal sit unius iudicis; quando vero tribunal sit collegiale non detur obligatio si decisio lata sit de unanimi iudicum sententia, secus appellari debet.

Rev.mi secundus et quintus Consultores malunt ut numquam detur obligatio talis appellationis.

Rev.mi septimus et primus Consultores in mentem revocant reformationem inductam in proceduram secundae instantiae per novum canonem 1986. Si talis reformatio bene perpendatur iam cadunt obiectiones contra obligationem appellandi de qua in can. 1986.

Tunc Rev.mus Secretarius legit novum canonem 1986 et petit suffragia placeatne dare defensori vinculi *facultatem* appellandi, loco obligationis:

placet n. 2; non placet n. 7.

IX. *Utrum in causis matrimonialibus tantum promotor iustitiae sufficiat tanquam repraesentans boni publici necne*

Rev.mus tertius Consultor censet quod defensor vinculi dimicare debet *pro rei veritate*, ideo ipsi tribuenda esset facultas appellandi etiam contra sententiam negativam.

Rev.mus nonus Consultor respondet Rev.mo tertio Consultori quod si munus defensoris vinculi in Codice servari debet, ipse non debet appellare contra sententiam negativam. Secus non iam defensor vinculi haberetur sed promotor iustitiae.

Rev.mus Secretarius censet propositionem Rev.mi tertii Consultoris non esse miram, quia causae de vinculo tangunt bonum publicum et *omnes in iudicio dimicare debent pro rei veritate* (Pius XII).

Rev.mus nonus Consultor respondet finem persequendum utique esse defensionem veritatis, sed unusquisque agere debet per suam viam.

Post aliquam discussionem Consultores statuunt ut generaliter in iudiciis unus tantum repraesentans boni publici habeatur, scilicet Promotor iustitiae, qui accusare possit matrimonium cumulative cum ipsis coniugibus; defensor vinculi autem tunc tantum sit necessarius cum promotor iustitiae matrimonium nullitatis accusaverit.

Adunatio IX^a
die 25 octobris 1969 mane habita

Huic conventui praeest Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Commissionis.

X. *Utrum requiratur in iudicis animo certitudo moralis circa rem sententia definiendam necne*

Rev.mus secundus Consultor censet ad sententiam definiendam non esse necessariam certitudinem moralem, sed sufficere « praeponderantiam probationum vel indiciorum ». Iudex scilicet pronuntiare debet sententiam « pro illa parte cuius argumenta suo iudicio erant potentiora et ad persuadendum magis accommodata ».

Rev.mus primus Consultor censet quod si indicia et probationes maximam probabilitatem praebeant, hoc sufficit ad edendam sententiam, quia tandem aliquando certitudo moralis idem est ac maxima probabilitas.

Rev.mus secundus Consultor respondet Rev.mo primo Consultori non requiri maximam probabilitatem sed sufficere « praeponderantiam evidetiae », scilicet quod argumenta sint probabiliora.

Rev.mus sextus Consultor memorat allocutionem Papae Pii XII in qua qualitas distinctiva certitudinis moralis in eo reponitur ut omne prudens dubium seu obiective fundatum omnino excludatur; unde deducitur contrarium non esse probabile, quamvis possibile esse possit.¹

¹ Cfr. AAS 34 (1942), 338-343.

Rev.mus octavus Consultor animadvertit matrimonium esse factum aliquod publicum et sociale de quo non potest declarari nullitas nisi de hac nullitate certitudo talis habeatur quae dubium prudens excludat. Ceterum notandum est quod certitudo moralis aliquem gradum elasticitatis habet pendentem a conditione subiectiva iudicis, quamvis iudex iudicare debeat ex actis et probatis.

Etiam Rev.mus primus Consultor admittit negari non posse aliquem gradum elasticitatis in certitudine morali, quia aestimatio probationum pertinet ad conscientiam iudicis.

Rev.mi sextus et septimus Consultores notant quod, quamvis limites certitudinis moralis flexibiles sint, tamen id est peculiare certitudinis moralis quod argumenta contraria non sunt talia ut dubium prudens in animum iudicis ingerant, imo iudex talia argumenta confutare debet.

Rev.mus quartus Consultor dicit notionem certitudinis moralis esse claram et communiter admissam; e contra nescitur quid sit illa « praeponderantia probationum » quam proponit Rev.mus secundus Consultor. Ideo retinenda est in Codice necessitas certitudinis moralis ad sententiam definiendam.

Rev.mus tertius Consultor censet solutionem huius quaestionis repetendam esse ex solutione amplioris quaestionis de cura habenda in Codice circa diversas indoles populorum. In casu de quo agitur apparet non esse magnam differentiam inter certitudinem moralem, prout conceptam a latinis, et « praeponderantiam probationum », prout conceptam ab anglicis vel civibus incolis Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis. Nam illa « flexibilitas » limitum certitudinis moralis, de qua aliqui Consultores locuti sunt, ita extenuat notionem certitudinis ut assimilari possit notioni « praeponderantiae probationum ».

Ideo melior solutio esset si res relinquatur iuri particulari.

Suffragatur placeatne requirere certitudinem moralem in animo iudicis ut sententiam dare possit:

placet n. 8; non placet n. 1.

XI. *De sacerdote consiliario in re familiari*

Quaeritur num apud unamquamque Curiam constituendum sit Officium sacerdotis qui sit « Consiliarius de re familiari », cuius adiutrice opera frui possit quicumque velit causam nullitatis proponere.

Consultores communiter respondent id pertinere ad curam pastorem, non autem ad ius canonicum.

XII. *Utrum causae de dispensatione super rato necessario S. Sedi reservari debeant necne*

Em.mus Praeses dicit causas sive de dispensatione super rato, sive de dispensatione in favorem fidei reservatas esse Summo Pontifici qui illas tractat per Sacras Congregationes. Pertinet ergo ad Sacras Congregationes, de mandato Summi Pontificis, edere normas de illis causis.

APPENDIX

SCHEMA CANONUM

Can. 1607 bis

Cum valde optandum sit ut lites in populo Dei evitentur, aut pacifice quamprimum componantur, proposita aliqua controversia quae privatum bonum respiciat, iudex in limine litis, aut quolibet alio processus stadio ante sententiam definitivam, partes hortetur, ut per transactionem vel compromissum in arbitros finis litis habeatur.

*De compromisso in arbitros**Can. 1*

§ 1. Ad evitandas iudiciales contentiones, partes possunt inire conventionem, qua controversia committatur iudicio unius vel plurium qui quaestionem dirimant.

§ 2. In compromisso in arbitros servantur normae statutae a legibus civilibus loci ubi conventio initur (fit), nisi iuri divino adversentur vel ius canonicum aliud statuatur, et salvis praescriptis canonum qui sequuntur.

Can. 2

Nequeunt in arbitros valide compromitti controversiae:

1° criminales, nisi agatur de actione civili ad reparanda damna ex delicto orta;

2° de statu personarum;

3° dilata;

4° dilata.

Can. 3 (Quinam arbitri esse nequeant)

Dilata.

Can. 4

§ 1. Quando lex civilis exigit confirmationem laudi arbitralis a iudice, intelligitur agi de illo iudice qui eandem controversiam iudicare deberet, si de ea ageretur causa formalis.

§ 2. Pari ratione, si idem ius admittat recursum ad iudicem superiorem, de re videat praeses tribunalis ecclesiastici appellationis.